22)

39

prospero bonorum, cum animi tum corporis, successu quam gaudeam tuo, tibi, mi Gerharte, ἄπιστον; θαυμάσιον conticuerim. Inde didiceris, quam sint mihi gratae ad me tuae, tuae σωτηρίας testes ac internuntiae. Ultimae mutationem soli, ac scholae mihi visae sunt ominari; non sine Rectoris, spero, tui consilio. Talis. n. mutatio horizontem immutat, Trapezuntem haud conciliat. Rem itaque totam consultò feceris, ut poenitudinis tricis minimè involvaris. Rationes satis praegnantes à Marpurgo te absterrent, quod ob vicinitatem minoris foret expensae; maioris tandem, rationes si expendantur tuae. Si ratus fuerit discessus, Basiliensi scholae te insinuaveris, ut inde Academicus non aliter, ad nos, quam iunior Cicero ad patrem Athenis, παλίνορσος fias. Tali te imbutum ingenio novi, qui studium laudis prosequaris, ut eam assequaris. parentib. sanè tuis, mirum, quam sit, cyclopico hoc seculo, Martis quam Minervae avidiore, expedita θελήσει, tua studia promovendi, cum etiam ipsimet sint ἄμουσοι. Tu igitur, mi Gerharte, in tuas te ita abdideris disciplinas, ut Basilea te in iis βασιλικὸν tandem ad tuos penates remittat, teque βασιλέα comperiat et cernat παλινόστιμον tua patria. Novam scholam quam primum subieris, eius rationes ocyus nos edocueris, cum universa Republica, Eâ re quantum flagrem, vix tibi persuaserim. Dominus Iesus, aeternus ille προμηθεὺς sit tibi προμηθὴς, sacrosanctam tibi ad omnia suggerendo προμήθειαν; ut hoc Consultore optimo, semper sit consilium optimum. Amen. Si qui sint noti istic, à me plurimum salveant singuli. Cursim ex Musaeo. Anno ἐνσαρκώσεως 606. VII. Ianuarii

Tuus Joh. Capito.

αὐτοχειρί.

1606. Jan. 7.

Joh. Capito

18

Solerti philomuso, Ger-
harto Hanewinckelio,
degenti Herbornæ. —.
ad manus.